

nunc cruces, modò humanas figuras, & similia phasmata, ex nubium incompositâ repræsentatione imaginatur; Quem in modum etiam vel in sputo in terram coniecto notamus aliquid subinde figurari, quod modò crucis, modò alii rei simile est; aut videntes montium sub certâ figura protensionem, nunc mensam concipimus, uti promontorium bonæ spei, nunc vultum humanum, ut Siciliae promontorium &c. quod & imaginatio præstat in laterum rudibus superficiebus: Ita & se res habet in nonnullis lapidum configurationibus. *He, inquit, nata ex fluore salini liquoris; qui ubi terrenam & appropriatam substantiam adhuc mollem & siccitate jam ingruente, in multas rimas & sinuosos ductus fatiscentem se insinuaverit, uti in marmoribus videre est, fit ut ibidem spiritu lapidifico successu temporis omnia simul in duram & saxeam molem coalescant; ita pro rimarum fissurarumq; constitutione fluor insinuat; jam pulcherrima flumina, jam ramosas arbores & alias quascunq; formas (quas narrat) imò vel totius hominis vel partium humani corporis, eò modò quo possit, & pro dispositione materie jam siccate, in varias & vacuitates rimosas fatiscentis dolineat, & quidem materiâ adhuc molli existente.* Quod autem hæc fortuita sint, probat inde; quia vix ulla ex iis, quæ animalis figuram mentiantur, forma perfecta fit, sed semper aliquod ad integram figuram constituendam, requisitum deesse, comperiatur, ita ut non tam dicatur id esse quod reverà est, quàm quod phantastica facultas ex aliquâ analogia sibi imaginatur.

§. 17. 2.) *Ex dispositione terrenæ substantiæ pendens.* Intra hanc, tanquam intra formam, receptus humor tinctus tandem spiritu lapidificò in eam figuram, quam terrenæ substantiæ matrix refert, induitur. Hoc autem potissimum vult intellectum de iis figuris, quæ perfectam aliquam imaginem solidam exhibent.

§. 18. Animi sententiam sic interpretatur: Postquam exempli loco posuit lapidem Romæ in Museo Qualdino reservatum, qui fissus intus ex utrâq; parte perfectissimi piscis formam exhibuerit, cinereo colore fulgentem, & spinosâ dorsi ossaturâ conspicuum, ex iis quos rhombos vocent, id hoc pacto contigisse ratiocinatur. Ex inundatione nimirum fluminum, tempore hyberno fieri solitâ, ingentem limi copiam in campis collibusq; coacervatam: hisce complures pisces unâ ejectos, limoq; involutos, constitisse: limum verò successu temporis, spiritu lapidifico in saxum conversum

sum